





ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA IVLIA CAROLINA
DECANVS
D. IOANNES FRIDERICVS
EISENHART
VIRI NOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
CAROLI ANTONII KEVFFEL
HELMSTADIENSIS
SOLEMNIA INAVGVRALIA INDICIT
SIMVL
DE SVCCESIONE EX MORIBVS
PAVCA DISSERIT.

470

1764, 2

2



DE REBUS VITAE
D. IOANNES FRIDERICVS
RISSENIART
CAROLI ANTONII KEATTEL
SOLENNIA IN VAGYVALLA INDICIT
DE SUCCESSIONE EX MORIBVS
PACA-DISERITVS



uocessionem vel legitimam esse, vel testamentariam, vel denique pactitiam siue conventionalem, res nota ac manifesta omnibus est. Merito tamen quoque quarta successione species addenda, ea scilicet quae moribus nititur ac consuetudine introducta est, de qua pauca differere placeat. Quum enim consuetudo semel inuecta legis habeat vigorem §. 9. *I. de iur. nat. gent. et ciuil.* et inueterata consuetudo pro lege non immerito custodiatur, *L. 32. §. 1. D. de legib. L. 3. C. quae sit long. consuetud.* legis vero sit impe-

imperare, vetare, permittere *L. 7. D. de legib.* nullum dubium est, quin etiam vi consuetudinis hereditas alicui obuenire possit, cui neque ab intestato neque ex vltima voluntate vel pacto successorio ius succedendi competit. Quae vt eo clarius pateant, exemplis quibusdam specialem hanc succedendi rationem confirmare iuuabit. Neminem fugit, naturam et indolem communionis bonorum inter coniuges vniuersalis ita comparatam esse, vt deficientibus liberis, nisi vel pacto vel lege quadam provinciali aliud fuerit sancitum, superstes coniux dominio bonorum communium, vi communionis bonorum vniuersalis solitario potiatur, et defuncti adscendentes et collaterales a successione excludat, secundum paroemiam: *längst Leib längst Guth*, quam ex instituto *MASCOVIVS* in proluf. *de paroem. iur. germ. längst Leib etc.* illustrauit. Quemadmodum vero vniuersalis haec bonorum communio eo aeuo inualuit, quo Germani consuetudine magis, quam lege scripta viuere coeperunt, vt ostendit *ILL. BÖHMERS* in *diss. de iurib. et obligationib. coniug. superstit. ex communion. bonor. vniuersali §. 6.* ita clare apparet, hanc succedendi rationem moribus quoque, vna cum ista bonorum communionem vniuersali, introductam fuisse.

Aliud exemplum huius specialis successionis nobis praebent, Orphanotrophia, ergastula, ptochotrophia aliaque pia corpora, ad quae in nonnullis locis, praeter defun-

defunctorum alumnorum exuias, quae plerumque vi legis specialis illis cedunt, reliqua eorum bona, vbicunque sita sint, vi semel introductae consuetudinis deferuntur, licet heredes alii legitimi adsint, qui agnationis cognationisque iure, defuncto iunguntur. Vigere in nonnullis locis eiusmodi consuetudinem saepius ex actis iudicialibus, ad facultatem iuridicam Helmstadiensem missis, intellexi. Haec autem plane singularis succedendi ratio, ex iure communi neutiquam probari potest. Quae enim in eo de successione certorum collegiorum et corporum disposita sunt, ad alia pia corpora, deficiente lege, applicari nequeunt. Leges enim imperatoriae hunc in finem editae, collegiorum nauiculariorum, cohortalium militum et fabricensium tantum mentionem faciunt, *Tit. Cod. de hereditat. decurion.* Solent quidem nonnulli Doctores hoc ius ad omnia collegia licita et approbata extendere, sed merito haec opinio suspecta est, neque ex *tit. C. de hereditat. decur.* probari potest. Non enim ibi imperatoris mens fuit omnibus collegiis ius succedendi concedere, cum specialia quaedam collegia tantum recensentur, ex quibus, quod omnibus collegiis concessum, nulla certa consequentia euinci poterit, adeoque collegiis aliis, qui idem ius sibi adscribunt, merito onus probandi incumbit, vt sibi eiusmodi priuilegium concessum esse probent, vid. *STRYCK de succession. ab intestat. Diss. V. cap. 1. §. 37. seqq.* Immo concedamus, omni collegio licito facultatem suc-

cedendi tribuendam esse, tamen secundum dictas leges fisco eiusmodi collegia tantum praeferuntur, si scilicet defunctus sine herede decesserit, cum e contrario haec succedendi ratio, quae corporibus piis, quorum supra mentionem feci, ex moribus nonnullorum locorum competit, ita comparata sit, ut cognatos excludant.

Aliud mihi se offert successionis ex moribus exemplum, scilicet decantatum illud ius spoli, vi cuius imperatores et episcopi, bona a beneficiato relicta et ex redditibus ecclesiasticis acquisita, occupabant, vid. BÖHMER *in iur. ecclesiast. protestant. Lib. I. Tit. VI. §. 68.* MEIBOM *in diss. de iur. quodam antiquo et antiquat. Caesar. German. in decedent. maior. praetator. relict. possession. T. II. rer. german.* et quod tanquam pravam consuetudinem Pontifices Romani, summo legum et poenarum rigore, in omni orbis pontificii ecclesiis tollere et penitus eradicare annisi sunt, vid. BVDER *in obseruation. de praua consuetud. Rips Raps in opuscul. p. 695.* Huic autem iuri cum renuncieret OTTO IV imperator, illud consuetudinem minus decentem vocauit, et ipsi Episcopi et Principes apud INNOCENTIVM III. P. R. confirmationem electionis OTTONIS IV sollicitantes, in litteris suis inter alia pro commendando imperatore hoc argumento vtuntur: *pravam insuper illam consuetudinem, quam imperatores antecessores sui, in occupandis rebus mobilibus vel se se mouentibus decedentium Episcoporum vel Abbatum Principum huc vsque seruauerunt*

runt, penitus exstirpans, nos ecclesiasticos Principes ab hac in debita vexatione regali benevolentia liberos dimisit, et decedentium bona suis successoribus seruanda liberaliter statuit. Plura de hoc iure profert, BÖHMER. *l. c.* Sublato interim tandem iure spoli, consuetudine generali beneficiatis facultas de aquaestu testandi, eumque in heredes transmittendi quidem obuenerit, sed nihilominus passim statutis et singulari ecclesiae obseruantia ius in eum succedendi seruatum est, et quod episcopi pro facultate testandi indulta papalia requirere soleant, ESPEN *in Iur. ecclesiast. P. II. sect. 4. tit. 1. c. 7.* Hinc factum est, vt, cum nonnunquam clericis lex imponeretur, vt suppellectilem suam ecclesius relinquerent, hi se opposuerint et ad facultatem testandi, illis demum concessam, prouocarint. CORVINVS *de person. et benefc. eccles. P. II. Lib. 7. Tit. 5. §. 22.*

Ex eodem fundamento, scilicet consuetudine, monasteria et congregationes canonicorum regularium, ius succedendi in bona defuncti monachi ac canonici sibi arrogarunt, quae consuetudo etiam postea legibus ecclesiasticis confirmata fuit, vid. ENGEL *de priuileg. monasterior. Priuil. II. Consil. Marpurgens. Vol. I. consil. 25.*

Eadem succedendi ratio inter personas militares occurrit. Constitutiones quidem imperatoriae legioni vel vexillationi, in qua miles rebus humanis exemptus, militauit, deficientibus legitimis heredibus, eius bona excluso fisco tribuunt, *L. 2. C. de hereditat. decurion.* Sed praeter

ter

ter haec, moribus inter personas militares receptum est, vt decedente praefecto militum, chiliarchae seu summo peditum vel cohortis tribuno, praeter equum, ex defuncti exuviis arma nonnulla, aliaeque res, quae in censum rerum expeditoriarum veniunt, cedant, licet alii legitimi heredes adsint, vid. IO. CONRAD. CASPART. *Allgemeiner kriegsrechtlicher Unterricht.* cap. 107.

Plura equidem successionis ex moribus exempla adferre possem, sed haec sufficiant. Superest vt paucis ostendam, quae circa eiusmodi consuetudinem obseruanda sint. Scilicet cum ex consuetudine ea proueniant, quae iure scripto non sunt determinata, facile patet, requisita consuetudinis ab eo probanda esse, qui illa nititur, nimirum actuum vniformium frequentiam *L. 34. D. de legib. L. 1. C. quae sit long. consuetud.* praeter quam diuturnitas quoque temporis desideratur, *L. 33 et 35. D. de legib.* ita tamen vt, cum in iure Romano non determinatum sit, quod temporis spatium ad introducendam consuetudinem requiratur, res ab arbitrio iudicis pendeat. *L. 11. §. 2. D. de iur. deliberand.* Iudicis autem est, non tam temporis rationem habere, quam potius probe examinare, num actus ad notitiam summi legislatoris peruenerit, isque non contradixerit sed tacite consuetudinem approbaue- rit, vt docet GYNDLINGIVS in *Gundling. P. VII. c. 3*, haec enim tacita superioris approbatio sola sufficit, neque requiritur, ceu quidam ob male intellectam *L. 37. D.*
de

de legib. existimarunt, vt in iudicio contradictorio consuetudo confirmata fuerit, et sententia desuper lata vires rei iudicatae nacta sit. Enimvero legem citatam mendo laborare, et pro contradicto iudicio, contradicta legendum esse, inter alios demonstrauit NOODT *in comment. ad pandect. Tit. de legib.* deinde in ista lege ab VLPIANO consilium suppeditatum, eiusque mens fuit, vt is optime sibi consuleret, qui, dum ad consuetudinem prouocat, ostendere potest, eam iudicio firmatam esse. Ex his itaque fluit, vt probato hac ratione iure succedendi, quod consuetudine introductum olim fuit, is qui eam negat, contrarium probare debeat.

Sed missis hisce transeo ad

*Nobilissimum et Doctissimum iuris vtriusque
Candidatum*

CAROLVM ANTONIVM KEVFFEL
Helmstadiensem

cuius honores iam indicendi sunt.

Natus autem est Helmstadii die x Februarii Anni
MDCCLXXX, patre VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE
AMPLISSIMO GEORGIO GOTHOFREDO
KEVFFEL, Moral. et Polit. P. P. O. Collega nostro
Honoratissimo, et matre DOROTHEA IULIANA
SCHWALLENBERGIA, qui ambo parentes grata
mente venerantur benignitatem diuinam, quod tempus
illud

illud viuendo attigerunt, quo filio vnico gratulari licet honores Doctores, illique porro fausta quaeuis prolixè a Deo precantur. Auum paternum habuit, GOTHOFREDVM KEVFFEL, Pastorem Wolfsburgensem, et auiam paternam MARIAM ELISABETHAM WENDTLANDIAM Stendalia oriundam. Auus maternus ipsi fuit, ANTONIVS VLTRICVS SCHWALLENBERG Medicinæ Doctor, SERENISSIMI DVCCIS AVGVSTI GVILIELMI Archiater, et Phycus Guelpherbytanus. Auia materna fuit MARIA AGNESE e gente MOERINGIA. Teneram mentem praeceptis religionis et elementis artium liberalium, quibus aetas puerilis impertiri solet, imbuerunt praeceptores domestici. Progressus in litteris humanioribus fecit ex institutione domestica plurium annorum IOANNIS FRIDERICI SCHOLTZII, postea Philosophiae Doctoris et Lib. Art. Magistri, fama et applausu auditorum apud nos florentis, cum inueterudine correptus, fato concederet, et praemiis vterioribus, quae iam instare videbantur, excideret. Albo ciuim studiosorum adscriptus est, AO. MDCCLI Prorectore Magnifico, FRANCISCO DOMINICO HAEBERLIN, a cuius ore statim pendere coepit in audienda historia vniuersali, et successiue reliquis historiae ciuilibus partibus. Ad historiam litterariam et ambitum illum doctrinarum, quas facultas philosophica complectitur, viam ac rationem praecuerunt Viri Excellentissimi atque Amplissimi, RVDOLPHVS ANTONIVS

NIVS FABRICIVS, IOANNES CHRISTIANVS WERNSDORF, B. IOANNES GOTTLIEB KRÜGER, IOANNES CHRISTOPHORVS DOMMERICH, GOTHOFREDVS CHRISTOPHORVS BEIREIS, quisque in eo studiorum genere, quod vi muneris demandati publice profitetur. Per idem illud tempus, quo his Doctõribus attendebat, praesto ipsi fuit sollicitudo paterna, non solum in hauriendis philosophiae practicae praecipis, sed etiam in euoluendis et adfidue versandis optimis auctoribus, vt et ad elegantioris litteraturae notitiam inde proficeret, et sermonis latini facultatem sibi compararet. Cum vero stauisset iurisprudentiae imprimis operam dicare suam, illustrium et celeberrimorum Antecessorum, B. GOTHOFREDI LVDOVICI MENCKENII, FRANCISCI DOMINICI HAEBERLINI, IOANNIS IACOBI HOEFLERI, ALBERTI PHILIPPI FRICKII, auditoria intentiore diligentia frequentauit, et disputando quoque in illis se exercuit, eademque diligentia et adfiduitate meis praelectionibus tam publicis quam priuatis interfuit. Distinguebat studiorum seueritatem Ao. MDCCLIX amoenitas peregrinationis in Silesiam, cuius opportunitatem afferebat iter necessarium quod pater illuc habebat. Illud ita instituebatur, vt Academiã Hallensẽ, Lipsiẽsẽ et Viadrinam hac occasione inuiseret, et commoratione Wratislauenfi atque Berolinensi ad variarum rerum cognitionem acquirendam vteretur. Redux factus, vacauit exer-



citationibus ad praxin iuridicam facientibus, et Experi-
 entissimum PETRUM IMMANVELEM HARTMANNVM
 Medicinam forensẽ tradentem, audiuit. Cathedram
 publicam bis conscendit, defendendo ab argumentis dis-
 sentientium sextam et duodecimam inter exercitationes
 Grotianas, a Patre venerando conscriptas, et ad disputan-
 dum publice propositas. Opponentis partes in conflicti-
 bus publicis saepius in se suscepit. Instructus itaque om-
 ni eruditionis genere, summos in vtroque iure honores
 modeste petiit, atque post geminam profectuum suorum
 in collegio nostro explorationem, omnium consensu,
 qui ad promeritam dignitatem, et in cathedra publica
 ad defendendam suam disputationem inauguralem ad L.
 r. §. 2. D. de Iustit. et iur. admitteretur, dignissimus est
 habitus. Habebit eam me Praefide d. XXI mensis huius
 Decembris, quem actum VI MAGNIFICVS ACADEMIAE
 PRORECTOR, ILLUSTRISSIMVS COMES, PATRES
 ACADEMIAE CONSCRIPTI, HOSPITES, CIVES GE-
 NEROSISSIMI, NOBILISSIMI praesentia sua exornare
 velint, ea qua par est obseruantia et humanitate oro
 atque rogo. P. P. Helmstadii Saxonum
 d. xx Decembr. MDCCCLXIII.

LITERIS VID. SCHNORRIAE ACAD. TYPOGR.

ULB Halle
005 350 883

3



WIP





470
1764, 2
2

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA IVLIA CAROLINA
DECANVS
D. IOANNES FRIDERICVS
EISENHART
VIRI NOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
CAROLI ANTONII KEVFFEL
HELMSTADIENSIS
SOLEMNIA INAVGVRALIA INDICIT
SIMVL
DE SVCCESIONE EX MORIBVS
PAVCA DISSERIT.

